ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. IOANNIS FRANCISCI ALDOBRANDINI

ARCIS S. ANGELI PRAEF. CLASSIS. ET COPIARVM S. R. E. DVCIS SEV CAP. GEN.

31.6.E.5.

5

LAVDATIO

Habita per Ioſephum Caſtalionem I. V. D.

Romæ in Oratorio Archiconfraternitatis Sanctiſſimæ Trinitatis pauperum Conualeſcentium, & Peregrinorum Anno MDCI. xiij. Kal. Ian.

Cum iuſta funeri ad monumentum honorarium a Sodalibus perſoluerentur.

Ad S. R. E. Cardinales, qui funeri operam dabant.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO ...



ROMAE, Expenſis Paulini Arnolfini, Apud Carolum Vullietum. MDCII.

Superiorũ permiſſu.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI. ET S. R. E. CAMERARIO

Ioſephus Caſtalio S. P. D.

VENERABILIS *Sanctiſſimæ Trinitatis Archiconfraternitas paruis initijs inchoata intra paucos annos ad ſummam pietatis laudem magnis incrementis, totiuſque orbis admirationem proceſſit. Quinquaginta enim ab hinc annis, & paulo amplius Perſiano Roſa, & B. Philippo Nerio Florentino auctoribus ſodalitas eſt inſtituta, adeſq. mox Noſocomio, Xenodochioq. ſunt comparatæ, in quas reciperentur peregrini per triduum; quiq. ex alijs Noſocomijs quod febre carerent, dimiſſi, morbo certe, purgationibuſq. conſumpti, quo ad plane confirmarentur, vireſq. priſtinas recuperarent benigne alendi. Hæc autem licet quotidie ſingulis annis affatim præſtentur. tamen ſuperioribus Iubileorum annis Greg. xiij. & Clemente viij. Summis Pontificibus Sodalitatis huius ſtudium in peregrinis quidem comiter, opipareq. excipiendis maxime enituit. Non enim tenuiores, & mendici tantum ex vniuerſa Europa eo confluebant. Sed ex totius Italiæ Ciuitatibus ſodalitates honeſtiſſimæ ſiue in ſodalitatem noſtram adſcitæ, ſiue nunquam adſcriptæ, laute omnes hoſpitio accipiebantur. Quamquam adſcriptis, & aggregatis obuiam procederetur, & ſplendidius conuiuium exhiberetur. Cum autem non ſolum maribus, ſed & feminis diſcretis tamen cænaculis, cubiculiſq. hoſpitales ædes noſtræ paterent, concurſus Populi Romani omnium ordinum, & vtriuſq. ſexus in Xenodochium noſtrum mirus fiebat. Sodales alij alijs miniſterijs diſtenti ſpectabantur, atq. à Ciuium multitudine adiuuabantur. Non puduit matronas Romanas mulierum peregrinarum pedes in aquæ calidæ peluim immiſſos lauare, atq. exoſculari, fercula in menſas inferre, coenantibus miniſtrare, & dormitantibus lectos ſternere. Optimates quoque*

Proceres, Prælati, Cardinales ipſi eadem fere miniſteria ſtudioſe obibant, & ſumptus liberaliſſime ſuppeditabant. Pontifex item Max. Clemens inquam Octauus (quis ex abſentibus poſteriſq. id credet) nouo, & ſingulari humanitatis, & humilitatis exemplo, incredibiliq. in peregrinos caritate eadem fere omnia in Xenodochio noſtro præſtitit. Ad eius pietatem quam proxime acceſſit benignitas Tua Petre Aldobrandine Cardinalis vere Ampliſſime. Miniſtrantibus enim Sodalibus ſæpe numero interfuiſti, ſuppetias tuliſti, vim pecuniæ maximam erogaſti, auxilia ſubminiſtraſti. Ac licet Venerabilis Sodalitas piorum Elemoſinis perpetuo ſubleuaretur, tamen parum abfuit, quin bonis omnibus, reditibuſq. diſtractis hoſpitalitatem deſineret, quod æs alienum, in multa hominum millia per ſingulos Anni Sancti dies alenda contractum minus ſoluendo eſſet. Clementis igitur Octauii immenſa liberalitas Sodalitatem collabentem ſuſtentauit, ſeu verius collapſam erexit, & annuo vectigale trium aureorum millium attributo, in Singulaſq. hebdomadas aureis Elemoſinæ quotidianæ nomine quinquaginta ſuppeditandis, reſtituit. Quamobrem Sodalitas tanti beneficij non immemor Clementem Octauum Parentem, Vindicem, & Conditorem ſuum appellat, proq. eius incolumitate, totiuſq. familiæ Aldobrandinæ amplitudine Deum aſſidue orat. Eodemq. ducta Officio Ioanni Franciſco Aldobrandino S. R. E. Copiarum Ductori exequias ſoluit. Concionem vero quam ipſe in eius funere Sodalitatis iuſſu habui, locupletatam, ad Te mitto, eo ſane conſilio, vt ſi actio mea minus fortaſſe Tibi ſatisfecerit, lectio certe copioſior magis arrideat. Equidem & mea ſponte animum ad Carmen de Viri Excellentiſſ. Laudibus conſcribendum appulleram, & Sodalitatis decreto incitatus ſoluta Oratione, eius laudationem conſcripſi, & egi. Te oro, atq. obſecro, vt quod Sodalitas noſtra referentibus Fabio Mathtæio, Hortenſio Celſo, Angelo Damaſceno, Siluerio Varrone Curatoribus de Iuſtis funeris ductori Aldobrandino ſoluendis, deq. laudatione habenda, cenſuit, gratum, id acceptumq. habeas. Verſus quoq. eodem fere ſpectantes ad Silueſtrum Aldobrandinum Vrbis Romæ Priorem, & Arcis S. Angeli Præfectum a me conſcriptos in tuã ſpem gratiæ adiunxi. Vale.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

DOMINO SILVESTRO ALDOBRANDINO

VRBIS ROMAE PRIORI, ET ARCIS S. ANGELI PRAEF.

Paulinus Arnolſinus Lucenſis Felicitatem.

S*ODALES Sanctiſſ. Trinitatis ad monumentum honorarium magnificentiſsime in oratorio apparatiſsimo, & luculentiſsimo excitatum Joanni Franciſco Patri Tuo Principi Glorioſiſsimo iuſta xiij Kal. Ian. perſoluerunt. Orationis inibi à Joſepho Caſtalione habita, & Petro Cardinali Aldobrandino dicatæ exemplum manu ſcriptũ nactus typis imprimendum, & edendum curaui. Id quid quid eſt muneris ad Te deſero, vt cũ ſtudiorũ cauſa Peruſij abſis in vrbe interfuiſſe videaris. Carmen quoq. Protrepticon, quod ad Te pertineret, Tibi reddendum fuit. præſertim cum in illo memoria eius diei, quo in poſſeſsionem Arcis Sancti Angeli Præfecturæ iuiſti, conſeruetur. Epitaphium inſuper ab eodem compoſitum adieci, ratus nihil tibi gratius accidere poſſe, quam quidquid litterarum monumentis de Pa-*

tre

Digitized by Google

tre Tuo immortalitate digniſsimo mandatur. Colligam cetera, ad Teque mittam, neque patiar obſequia mea deſiderari. Vale, Illuſtriſsime Princeps Iuuentutis. Romæ pridie Natalia, quæ Tibi, familiæq. Tuæ Glorioſiſsimæ Fauſta ſemper, & felicia voueo. MDCI.

ILLV-

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. IOANNIS FRANCISCI ALDOBRANDINI

ARCIS. S. ANGELI PRAEF.
CLASSIS. ET COPIARVM S. R. E.
DVCIS SEV CAP. GEN.

LAVDATIO

Habita per Ioſephum Caſtalionem I. V. D. Romæ In Oratorio Archi Confraterninatis Sanctiſſimæ Trinitatis pauperum Conualeſcentium, & peregrinorum. Anno MDC I. xiij. Kal. Ian.

Cum Iuſta funeri ad Monumentum honorarium à Sodalibus perſoluerentur.

Ad S. R. E. Cardinales qui funeri operam dabant.

CVM primum de Ioannis Franciſci Aldobrandini obitu diſſipari per vrbem rumor eſt caeptus P. A. nihil prius in publico luctu faciendum ſibi ſodalitas noſtra cenſuit, quam curare, vt iuſta funeri ad Cenotaphium hoc in loco quam ampliſſime perſoluerentur, altariſque ſacrificio ſolemniter ſupplicaretur, quod is optime de S. R. E. meritus eſſet, arctiſſimaq. propinquitate Clementem Octaui Pont. Max. contingeret, qui xenodochium noſtrum ære alieno graui oppreſſum annuo trium aureorum millium vectigale attributo ſubleuauit, & in exhauſta liberalitate quotidie ſuſtentat, quiq. inſtituta noſtra non verbis ſolum, ſed etiam re, & opera comprobauit. Nam ipſe, ipſe, inquam, tantæ maieſtatis vir, ad cuius pedes Populi, Regeſq. Venerabundi accidere, & aduolui ſolent, non ſemel per Anni Sancti celebritatem in ædes hoſpitales noſtras conceſſit, cænacula inuiſit, peregrinorum pedes linteo præcinctus, abluit, & exterſit Quare tot nominibus, beneficijſq. ingentibus deuincta Sodalitas Noſtra ſacris peractis laudationẽ quoq. haberi per me voluit. Ego autẽ ſemi horæ ſpatio mihi

ad

Digitized by Google

ad dicendum propoſito Orationem ad compendium conferam, & pauca de genere, educatione, moribus, & rebus eius geſtis recenſebo proximoſq. conſolabor. Nam ſi omnia complecti vellem, exitum profecto non reperiret oratio. Initium a genere ducetur. Magnum enim ad virtutem momentum generis nobilitas habere ſolet, ac fieri vix poteſt, vt in pronepotibus inſita, innata, & quaſi per manus tradita proauorum virtutis ſemina non reluceant. Natus eſt igitur Ioannes Franciſcus Florentiæ Sexto, & quinquageſimo ab hinc anno, quincto Idus Martias Patre Georgio viro præſtantiſſimo qui ſeptuageſimum ætatis annum magna cum laude & bonorum omnium admiratione peruaſit. Fuit enim vir ciuilis prudentiæ gloria ſpectabilis, Magiſtratus geſsit, Ius dixit, oppida Florentinæ ditionis ſæpius adminiſtrauit. Bello etiam Senenſi Coſmo Magno Etruriæ Duci ſtudium, operam, & fidem ſuam probauit bellicis muneribus Præfectus. De Aldobrandinorum vetuſtate, nobilitateq. neminem eſſe opinor, qui expectet, dum dicam, cum nemini obſcurum ſit vetuſtiſsimam, nobiliſsimamq. & maiorum gentium apud Florentinos Aldobrandinorum Familiam ſemper eſſe habitam. Nemo enim ignorat, in ea Familia belli, paciſq. artibus, ingenij, doctrinæ, & Iuris prudentiæ gloria clariſsimos viros ſingulis ætatibus per multos floruiſſe, & noſtra memoria ex eadem gente prodierunt, qui ad ampliſſimum euecti ſunt Cardinalatus honorem, excelſiſſimumq. Pontificiæ dignitatis faſtigium. Neq. minus ornamenti ex materna origine percepit. Mater ei fuit Margarita e Cornu femina honeſtiſſimo loco nata, & mira probitatis pietatiſq. fama inter Florentinas matronas inſignis: Huc accedit affinitatis ſplendor. Margaritam enim Georgij Aldobrandini ſororem Ioannes Adimarius Iacobi huius Pater, quem Ioannes Franciſcus vt amitæ ſuæ filium, vt ſpectatæ fidei virum, domum recepit, & honorificentiſſime apud ſe habuit, vxorem duxerat. Adimariam vero gentem Florentinæ nobilitatis antiquiſſimā & clariſſimā, illuſtriorem reddidit Alamannus Adimarius S.R.E.Card. Piſanus, cuius monumentum in templo Sanctæ Mariæ Nouæ hodieq. Romæ conſpicitur, centum, & Octuaginta ante annos conſtructum, & cuius bona ad huius Iacobi parentes ſucceſſione peruenerunt. Dixi de generis nobilitate. Sequitur, vt quam honeſtiſſime educatus, inſtitutuſq. fuerit, videamus, quod cum domeſticus ſplendor poſtulabat, tum animi, corporiſq. bona, ad omnem laudem conſequendam apta, & idonea flagitabant. Itaq. optimorum parentum cura, & ſtudio ad pietatem informatus, litteris etiam imbutus ad omne humanitatis officium mores compoſuit, ingenium pro temporum conditione diligenter excoluit. Omnes homine libero dignas artes edidicit. Neque per inertiam aut luxuriam Iuuentutis annos exegit. Sed ad ampliſsima omnia obeunda ſe comparauit. Prudentiæ quoq. Comitatis, & temperantiæ habitum eſt adeptus. Sic formatus, ſic rerum omnium vſu mirificaque dexteritate & ſollertia prœditus Romam venit. Ei ob tot eximias virtutes anno ab hinc Sexto decimo Hyppolitus Cardinalis Aldobrandinus, quem nunc Clementem Octauum appellamus, & veneramur, Olympiam Petri fratris ſui filiam Virginem lectiſſimam in matrimonium dedit. Ordo poſtulat, vt de moribus eius dicam, ſed

ad

ad res eius geſtas in magiſtratu feſtinat oratio. Et ex ijs qualis priuati hominis vita fuerit, facile intelligetur. Magiſtratus enim virum oſtendere perhibetur. Solent pleriq. dum ad potentiam, dignitatemq. perueniant, in arctis, & anguſtis rebus animum ſpe, corpus animo ſuſtentare, omnia nauiter agere, pati duriſſima quæq. nihil ijs temperantius, nihil modeſtius, nihil manſuetius fieri poſſe videtur. Vbi vero peruenerint, quo aſpirabant, torpori ſe dedunt, in voluptate ſummum bonum conſtituunt, tunc impotentes, contumelioſi, auidi, auari, alieni appetentes, ſui profuſi, & prodigi apparent, & omnia in omnes ſibi licere arbitrantur. Huius autē viri in ſumma potentia ſummam, & perpetuam continentiam quis non admiretur? Laudatur quidem Tiberius, commendatur Nero, ſed primis Imperij, annis. Erupit eorum mox auaritia, libido, turpitudo, deſidia, ſæuitia, & crudelitas ad tempus diſſimulata. Ecquis eſt, vos appello Ciues, vos appello aduenę, qui per decem totos annos ſciat quemquam a Ioanne Franciſco vnquam damno, aut contumelia fuiſſe affectum. O innocentiam ſingularem, o temperantiam conſtantem, & ad imitandum poſteritati propoſitam. Agite vero, quam ſe otio, & Vrbanis delicijs tradiderit, vergente præſertim ad ſenectutem ætate conſideremus. Nihil tale in fortiſſimo viro reperietur. Semper enim in negotijs, ſemper in laboribus, ſemper in periculis vſq. ad extremum ſpiritum, pro bono publico, pro fide, & religione Catholica eius verſata eſt vita. Pontificatum acceperat Clemens Octauus turbulentum, & propter crebra illa interregna, temporumq. mutationes ſeditionibus, licentia, & caritate annonæ laborantem. Latium in primis, & Picenum adeo latrocinijs obnoxium, & infeſtum erat, vt vix oppidorum mænibus ciuium ſalutem defenderet. Nemo certe in agris impune opus facere, nemo in viam ſe tuto dare, nemo rem priuatam, nemo publicam obire poterat. Omnia tenebant latrones; exuleſq. non in anguſtijs quidem viarum, & amfractibus viatores inuadebant, non ex ſaltibus, & inſidijs ſubito erumpentes adoriebantur mercatores. Sed aperto Marte; ſed iuſto exercitu, & collatis prope ſignis impetum in obuios, & repugnantes faciebant. Agros diripiebant. villas incendebant. omnia cædibus, & incendijs miſcebant. Oppida etiam oppugnare, & obſidere temerario auſu inſtituebant, In eorum ſane poteſtatem venerant Epiſcopi non nulli & Principum virorum filij, quos aut ſummo prætio redemptos, aut crudeliter excruciatos non ignoratis. Eadem fere peſte aliæ quoq. ditionis Eccleſiaſticæ Regiones laborabant. In tantis malis, in tanta populorum calamitate anxius, & ſollicitus Optimi Pontificis erat animus, quippe qui ſciret ſe in ſummum dignitatis gradum non ad ſuam tantum, ſuorumq. vtilitatem à Deo euectum, ſed ad publicum commodum in celſiſſima Petri Sede collocatum, vt omnium incolumitati proſpiceret. Quare breui per alios alias regiones ſedauit, pacauit, correxit. In Latium autem & Picenum aduerſus latronum, exulumq. exercitum contra feroces, pugnaces, & deſperatos ſicarios in apertum capitis periculum cum imperio mittit, quem maxime apud ſe perpetuo eſſe cupiebat, quem vnice diligebat, cuius in familiari ſermone acquieſcebat, qui cum grauiſſimis de rebus communicabat, hunc noſtrum Ductorem

 volen-

volentem, & fortaſſe ſtudio publicæ quietis petentem, inuitus quidem, ſed vtriq. populorum ſalus, quam ſua, erat antiquior. Vrbem Romam prouidentiſſimus Pater conſtituit, annonæ caritatem ſubleuauit, ſeditiones compoſuit, licentiam repreſſit. Hic autem noſter Ductor bis in Prouinciam ſuam cum exercitu profectus latronum, exulumq. maximos conatus diſturbauit, nefaria conſilia euertit, copias cæcidit, diſſipauit, deleuit. Latium, & Picenum rapinis, cædibus, & incendijs liberauit. Re bene geſta ferme ouans in Vrbem reuertitur, ad quietem ne, & delicias Vrbanas in ædibus ſuis rerum omnium copia difluentibus cum vxore,& liberis cariſſimis? Longe contra. Nam cum magna eſſet corporis, animiq. ſimilitudo Beatiſſimo Patri Clementi cum Ioanne Franciſco, idem vterq. quod ad dignitatem Sedis Apoſtolicæ, Chriſtianiq. nominis incolumitatem ſpectaret, ſentiebat, & vehementer volebat. Ad Regem igitur Philippum ſecundum magnis de rebus ad ſalutem, gloriamq. Chriſtianorum pertinentibus legatur Ioannes Franciſcus. Dat ſtatim ſe itineri cum magno & ſplendido comitatu vir clariſſimus,Naues conſcendit, in Hiſpaniam appellit, Regem conuenit, quæ in mandatis haberet exponit. Rex autem vim, ſuauitatemq. dicendi prudentiamq. & vultus, corporiſq. totius formam dignitatis plenam adeo eſt in eo admiratus. vt inter Hiſpaniæ Proceres ſummates, quos Grandes appellant, qui ſummus dignitatis apud Hiſpanos eſt honor, neq. poſt Regiam maieſtatem amplior, excelſiorue vllus eſt ſplendoris gradus, virum vltro cooptauerit, In vrbem reuerſo diutius cum ſuis eſſe non licuit. Bellum Imperatori Rudolfo intulerant Turcæ nationibus fere omnibus formidabiles, perpetuiq. Chriſtianorum hoſtes. iamq. in Vngariam impreſſionem fecerant, vaſtitatem aris, fociſq. afferebant. Clemens autem Princeps Optimus Imperatorem pecunia primum,deinde militibus adiuuat. Romæ, cæteriſq. in oppidis, Vicis, Regionibuſq. Apoſtolicæ Sedi ſubiectis delectus habetur. Eccleſiaſticis copijs præficitur Ioannes Franciſcus. Huic armato, armatiſq. militibus ſtipato Pont. Max. in Baſilica S. Mariæ Maioris inter Miſſarum ſollemnia circumſedente ſacro Cardinalium Collegio ſceptrum Ducatus inſigne,ſignaq.militaria,& vexillum ritu ſolemni tradit.Confeſtim ab Vrbe diſcedit Ductor, ad Imperatorem contendit, copias iungit, hoſtem inuadit, fundit, fugat, obtruncat, oppida aliquot hoſti adimit, Strigonium obſidet, præſidioq. ad deditionem compulſo recipit. Quæ res plurimum ad hoſtium animos frangendos, ſpirituſq. ſummittendos, & ad Chriſtiani nominis exiſtimationem, gloriamq. extollendam permultum valuit. Hinc quidem perſpici poteſt, quanta eius fuerit virtus, qui fere primus immaniū barbarorum impetum fregit,& ſuperbiam domuit.Primus certe oppidis expugnatis docuit Turcarum arces quantumuis edito loco ſitas, & validis præſidijs firmatas inexpugnabiles non eſſe, illorumq. multitudinem, & copias virtuti noſtrorum cedere. Bis ex Vngaria milites Victores reduxit. Ter in Turcas ex Vrbe copias tranſportauit. Non vię,nō pulueris,non ęſtiui caloris moleſtia virum deterruit,quo minus tot Regiones adiret,bellorumq. pericula fortiter toties ſubiret. Herculem dixeris, qui ex laboribus ad labores mitteretur. Romæ autem quamdiu fuit tanta ſuis ceruicibus munia

ſuſten-

ſuſtentauit, tantis occupationibus ſuper optimo Ciuitatis ſtatu diſtinebatur, vt ne reſpirandi quidem prope facultas eſſet. Principem quotidie adibat, Imperata faciebat, amicorum rebus proſpiciebat, Ciuibus, peregriniſq. conſulebat, nemini, qui ad eum adiſſet non ſatisfecit. De ſumma eius in Deum pietate, atq. in homines ad benigne faciendum propenſa voluntate, deq. mente viri pura, caſta, & integra, quam magna, quam admiranda percunctanti mihi narrauit vir Religioſiſſimus quidam. Omnium autem ſemper ſalutem ei curę fuiſſe, illud argumento eſt, quod cum hoc anno Kalendis Ianuarijs Tiberis exundatio per aliquot vicos, Regioneſq. Vrbis reſtagnaret, magnoq. in periculo verſarentur Ciues, ne fames in Vrbe eſſet, ipſe per Vrbem equitans, & Piſtores vrgebat, & rem frumentariam expediuit, in eorumq. ædes, ad quos pedibus nemo accedere poſſet, per nauiculas panem importandum curauit, & Ciuitati in tanta calamitate nullo loco defuit. Idem quoq. hoſtibus formidini, Imperatori Chriſtianorum adiumento, ſocijs non grauis, S. R. E. ornamento, & pręſidio ſemper fuit. Deum in primis ſumma pietate ſiue domi, ſiue belli degeret colebat, & poſt Deum Beatiſſimæ Virgini Mariæ ſupplicabat. Sanctorum Reliquias, memoriamq. venerabatur. Ad eorum patrocinium, interceſſionemq. quotidie confugiebat. Nihil moliebatur. nihil inchoabat, niſi precibus ad Ieſu Chriſti Crucifixi imaginem profuſis rei diuinæ quotidie mane adſtitiſſet. Tot vero expeditionibus. Nihil vnquam temere, nihil timide aggreſſus eſt. Omnia conſilio, omnia virtute adminiſtrauit. Milites in officio continuit, ad virtutem inflammauit, ſtrenuos ornauit, ignauos notauit, omnibus ſtipendia ſingulis menſibus ſuma fide perſoluit, ægros, & imbecilles incredibili ſtudio, & caritate in Noſocomijs curari, refici, & confirmari iuſſit. Omnes Optimi Ductoris partes egregie ſuſtinuit. Nihil in gratiam loquor. vera & teſtata in medium affero. Te, te inquam Bonuiſi Cardinalis optime teſtem appello, arbitrum, & ſpectatorem rerum omnium quæ à Ioanne Franciſco iterum in Vngaria Ductore ſunt geſtæ. Tu Pontificij Fiſci Pręfectus, & Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarius Generalis in exercitu fuiſti. Tu rebus fere omnibus, præſertimq. ſtipendijs militi numerandis non interfuiſti modo, ſed præfuiſti. Tu Ducis virtutem, Tu militum merita expendiſti. Nihil Te fallit, nihil Te latet, loquere, oro, vtrum ficta, aut ſupra fidem amplificata, exaggero, an multa, & maiora, quę me fugiunt, omitto, & prætereo. Tu vir es optimus. Tu veri, & recti amantiſſimus. Tu non ad voluntatem, ſed ad veritatem loqui ſoles. omnibus ingenium tuum ingenuum, & liberum eſt notum. Percunctamini quæſo à Card. Bonuiſio Quirites, percunctamini. intelligetis, nihil noſtro Ductore iuſtius, nihil præſtantius fieri potuiſſe? Dies me deficiat P. A. ſi quaecumq. fortiter, iuſte, prudenter, & ſumma cum laude geſſit, recenſere vellem, & ad exitum iam maturat Oratio. Vltima expeditionum, operumq. mortalium eius fuit ad Caniſiam, à Turcis per proditionem anno ſuperiore occupatam, profectio. Imminebat iam hoſtis perfidus non Vngariæ ſolum, & Germaniæ finitimis Regionibus ſed Italiæ ipſi, cladem q. huic Vrbi minabatur. Quamobrem in tanto rerum diſcrimine Clemens Optimus Auſtriacis auxilia ſumminiſtrare, Turcas loco deijcere arcemq.

 muni

munitiſſimam recipere iunctis viribus decreuit. Conſcribuntur milites. Ad Ioannem Franciſcum itur, Rei gerendæ ſumma ad eum defertur, qui tanto Fidei Chriſtianę conſeruandę, & propagandę ſtudio cũ ſummo Pontifice tenebatur, atq. exæſtuabat, vt neq. bellici labores, neq. ingraueſcentis ætatis imbecillior fortaſſe iam valetudo, aut memoria grauiſſimi, periculoſiſsimiq. morbi, quo Comari in Vngaria proxime ægrotauerat, ſummouere hominem ab inſtituto potuerint. Ineunte æſtate diſceſsit Roma. vix à coniugis, liberorumq. retinentium complexibus explicare ſe potuit. Vxor caritate virum remorabatur. Patrem Filij ad eius genua implicati abire non ſinebãt. Euaſit tandem, valereq. ſuis iuſſis in viam ſe dedit. Traſmiſſoq. nauibus exercitu ad Auſtriacos excurrit, conſilia belli gerendi communicat, terrorem hoſtibus inijcit, Caniſiam obſidet, ſubſidia longe arcet, cumq. Oppidi munitiſſimi oppugnatio inſtitueretur, ipſe in morbum ex tot laboribus, incommodis æſtiuiſq. caloribus contractum incidit., vnde non conualuit, ſed Varadini ad ſempiternam gloriam ex breui mortalis corporis vita deceſſit XV. Kalen. Octobris, anno ætatis ſuæ ſexto, & quinquageſimo. Qua etiam ætate Cæſarem perijſſe conſtat. Satis diu gloriæ vterque naturæ, neuter, meo quidem iudicio, vixit. Vterque immatura, & accerſita morte ſublatus eſt. Hic ferro in ſenatu a conſpiratoribus, quod rempublicam, & patriæ libertatem opprimeret, confoſſus eſt. Ille ob Chriſtianam rempublicam in caſtris vitam profudit. Serius fortaſſe, quam oportuit, libertatis oppreſſor occubuit. Maturius certe Chriſtianorum à Trucarum tyrannide liberator, quam Chriſtiana reſpublica poſtularet, interijt. Sed vereor, ne is nobis aliqua noſtri offenſione celerius ſit raptus. Cum enim ad Caniſiam exercitui noſtro graue immineret exitium, Dux optimus ante ſublatus eſt. O Te beatum, & glorioſum Ioannes Franciſce, qui tot rebus preclare geſtis æternam famam es conſecutus. Tu ad vrbem vias a graſſatoribus obſeſſas pateſeciſti. Tu Picenum, & Latium à detrimentis, & metu vindicaſti. Tu à Chriſtianorum iugulis, ceruicibuſq. gladios Turcarum auertiſti. Tu Catenas a noſtris diſcuſſas hoſtium brachijs inieciſti. Tu vere dici Heros Dei potes, qui pro fidelium ſalute aduerſus infideles, & Dæmonũ cultores in bellũ profectus oppetijſti, quiq. inde, vt nobis quidem perſuaſum eſt, in cęlum ſublatus aerias poteſtates, dęmones ipſos, Turcarũ Italię iam imminentium fautores ſuperaſti. Tu nunc, vt ſpes eſt, cum Chriſto Deo viuis in Cælo; Tu in terris ſemper in omnium ore viues. Tibi Pont. Max. Tibi Populus Romanus, Tibi Sodalitates in celeberrimis Vrbis Romę tẽplis. Tibi Ciuitates per vniuerſam Italiam, atq. adeo Europam funeris iuſta Cenotaphijs magnificentiſſime cõſtructis certatim perſoluunt. Te omnes Populi, nationeſq. celebrabũt. Te hiſtoriæ loquentur. Te poſteritas omnis admirabitur, ſuſpiciet, obſtupeſcet. Monumenta virtutis tuæ, quæ in Italiæ Regionibus, quæ in Vngariæ oppidis, Viciſq. tibi excitaſti, Tui memoriã ad omniũ ſæculorum poſteritatem illuſtri gloriæ cõmendabunt. Nunc P. A. ad eius proximos extrema mea conuertetur oratio. In cumulũ felicitatis tuę Clemens Beatiſſ. decora tuorũ accedũt. Tuis Dux fortiſsimus militibus, tuiſq. cõſilijs tot bella proſpere confecit, tu tantũ præſidiũ reipublicæ Chriſtianæ pæne genuiſti. Tuum hæc mærorem

leniet

leniet cõſolatio. In hoc vno duce Cardinales propinqui laudes veſtras agnoſcitis, qui ſumma integritate, fide, & conſtantia tanta Eccleſiaſticæ ditionis munia ſuſtentatis. Tuq. præcipue, qui gloriam cum ipſo mundo permanſuram tot legationibus obitis, bello feliciter geſto, Ferrariaq. recepta es adeptus. Te vero, Olympia femina incomparabilis, & dignisſima Patruo Pôtifice Maximo, & Fratre Cardinale Aldobrandino, hæc ipſa viri tui ornamenta admonere poſſunt, vt coniugem non extinctum eſſe, ſed per gloriam viuere, non amiſſum, ſed præmiſſum in beatorum ſedes exiſtimes. Vos autem, qui oris lineamenta, formamq. tanti principis refertis, ad virtutem ita paternis exemplis, trophæiſq. excitari oportet, vt Ioannes Franciſcus Aldobrandinus effigies morum ſuorum, prudentiæ, pietatis, & virtutis liberos reliquiſſe videatur. Sic ſane fiet, vt non totum à nobis eum receſsiſſe iudicemus, quem plane in vobis agnoſcamus, cernamus, & teneamus. Quod iam nunc in Te potiſſimum Syluester Princeps Iuuentutis aſſequimur. Tu enim quam de Te concitaueras expectationem, pudore, probitate, ingenio, eruditione, & ante annos conſilio mirifice ſuſtines. Te igitur præclare ad gloriam contendente Patris Tui exceſſum non parum ſolamur, inteq. Ioannem Franciſcum Aldobrandinum rediuiuum intuemur, & amplexamur. Quod item in fratribus Tuis egregia indole pueris nemo non ſperat.

DIXI.

Epi-

Digitized by Google

Epitaphium Cenotaphio inſcriptum.

IOANNI. FRANCISCO. ALDOBRANDINO. GEORGII
F. OLYMPIAE. CLEMENTIS. VIII. PONT. MAX. FRATRIS
FILIAE. PETRI. CARDINALIS. ALDOBRANDINI
SORORIS. VIRO. ARCIS. SANCTI. ANGELI
PRAEFECTO. CLASSIS. ET
COPIARVM. S. R. E.
DVCI. PIO. VICTORI
ARCHICONFRATERNITAS. SANCTISSIMAE
TRINITATIS
MONVMENTVM. HONORARIVM. EXCITAVIT
IVSTA. PERSOLVIT

QVOD. OB. SANCTAM. ROMANAM. ECCLESIAM
BELLO. TVRCICO. AD CANISIAM
MORTEM. OBIERIT

QVOD. STRIGONIO. RECEPTO. IMPERII
ROMANI. TERMINOS
PROTVLERIT
FIDEM. CATHOLICAM. PROPAGAVERIT
CLEMENTIS. OCTAVI. PONT. MAX. MISSV

QVOD. A. PESTIFERO. EXVLVM. LATROCINIO
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
REGIONES. LIBERAVERIT
ITINERA. TVTA. REDDIDERIT

AD

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

PRAEFECTVM ARCIS
SANCTI ANGELI
SILVESTRVM
ALDOBRANDINVM
PROTREPTICON
Ioſephi Caſtalionis I. V. D.

LIBRA ſoporiſera paulo produxerat horas
Noctis, & à ſummo Septembri Aurora ſecunda
Ductori Angelica turma referebat honores,
Cuſpide Luciferum baratri qui merſit in ignes.
Cum iubar Auſoniæ pubis SILVESTER *in arcem*
Emicuit, patrijſque manus admouit habenis,
Amplaque Pontificis iuſſu CLEMENTIS *iniuit*
Munia Præfecti, tutandaque clauſtra recepit.
Poſt ubi concubuit perfuſus membra ſopore,
Continuo ad thalamũ MICHAEL *accedere viſus*
Magnanimum tali puerum ſermone petiuit.
Aeterno dilecte DEO, *præclara propago*
ALDOBRANDINI *generis. cape pectore firmo*
Fortia frena manu tenera, curaſque viriles
Atque animo ſubeat Patriæ virtutis imago.
Ille, ſimul CLEMENS *rerum ſuſcepit habenas,*
Nobilis urbana poſſet cum commoda vita
Tuta ſequi, & fructus hauſtorum ferre laborum,
Vaſtaretque Italos latronum exercitus agros,
Malluit intrepidum caput obiectare periclis,
Conſilio, magniſque datis legionibus vſus,
Eductoque pati armatus diſcrimina dura
Milite per Campos, faſtidia nulla pereſus
Pulueris, & Solis. tantam præſentia peſtem
Reſtinxit Ducis, & Latium formidine ſoluit.
Hinc ſalis, atque ſoli tractus emenſus Hiberas
Intulit in terras greſſum, Regemq. PHILIPPVM
Nomine CLEMENTIS *petijt, mandataque ſacra*
Expoſuit, retegens quæcumque requireret ipſa
Publica Chriſtiadum ratio, vel gloria rerum.
Turcica Pannonias rabies inuaſerat oras.
Ingentique adeo turbarat cuncta tumultu,
Vt non ſola pares ferret Germania vires,
Impiaq. Auſtriacus latias in bella RVDOLFVS
Imploraret opes ſupplex, ſummumq. rogaret
Pontificem, vt ſocijs bellum defenderet armis.
Ille tuo belli ſummam, ſceptrumq. parenti
Tradit, & auulſum caris complexibus ire
Inuitus iubet, ac turmas educere in hoſtes.
Iuſſus abit ductor, nullo remoratus amore
Coniugis, aut prolis numeroſæ, Aulæo nitentiũ
Induitur ferro, belliq. viaq. labores
Fortis obit, Certus pro CHRISTI *nomine vitã*
Fundere. Cæſareos iuuat auxiliaribus armis.
Barbara contundit Romanis agmina telis.
Threiciaſq. ardens funditq. fugatq. cohortes,
Strigonium nec non vltricibus occupat armis.
Et veteres templis ſacratis reddit honores.
Inde Propagator fidei victricia ſigna
Rettulit in Latias reduci cum milite ſedes.
Ter miſſu OCTAVI *redijt* CLEMENTIS *eo-(dem*
Incenſus miro ter Relligionis amore
Augenda, duxit fortes in bella Quirites,
Examenq. nouum, metuendaq. robora Turcis
Iam ſenior. Sed enim cupiens pro parte Virili
Pontificis ſtudio ſic reſpondere iubentis,
Deſeruit Romam, & dulces cum coniuge natos.
Non illi requiem, non otia blanda propinquũ
CLEMENTIS *regnũ, ſed crebra negotia vitæ*
Sollicita tribuit. Sic itur in ardua cæli,
Famaq. per totum factis extenditur orbem.
Ignauos deceat turpi marcere veterno
Quiq. voluptates appellant præmia ſumma.
At Dux Romanus temnens æſtuſq. minaſq.
Solſtitij Illyricas penetrauit ſtrenuus oras.
Boſphoreiſq. tulit Cladem, gentiq. nefandæ:
Aeternaq. inhians diuina ad præmia palma
Nomine pro CHRISTI *dominiq. Deiq. tuendo*
Oppetijt,

Oppetijs [illegible] loci, belliq. labore.
Tartare[illegible] tecum fert victis hoſtibus Heros,
Tu vero Ducis invicti ſate ſanguine pulchro
Ingredere à prima curſus ætate paternos,
Vtq. fuit pius in Ciues, *patriamq.* Deumq.
IOANNES meritis FRANCISCVS in aſtra re-
Sic *pietas tibi ſit cordi, famamq. bonorum, (ceptus.*
Remq. volens auge, Populiq. *tuere ſalutem*
Commiſsi *tibi,* Pontificem *venerare, DEVM que*
Pronus *adorato. ad* SANCTOS *accede patronos*
Suppliciter *precibus, ſeu dulci lumina ſomno*
Veſpere declinas, ſeu te lux ſuſcitat alma.
Diuinis aſsiſte frequens, templiſq. ſacratis
Ceruus, *& flexis genibus cole myſtica ſacra.*
Maternas audi voces, & ſuſpice nutus.
Dilige *fraternos vultus, caraſq. ſorores.*

Nec fueris fidis vnquam monitoribus aſper.
Diſce *per ingenuas artes ſapientia quid ſit.*
Aſſentatorum ſurdas ſermonibus aures
Obſtrue, congreſſus vitæ, victuſq. ſceleſtum,
Quorum corrumpunt commercia turpia mores.
Romula quam tellus de te ſpem concipit, imple,
Formaq. virtutis quidquid prænuntia ſpondet.
Indole permotus tanta tibi credidit Arcem
Hanc *vltro* CLEMENS, *lõge maiora daturus,*
Non expectatos qui penſes laudibus annos,
Vita *& flore puer referas probitate ſenectam.*
Perge, adero, omnipotẽs qua te DEVS *ire iubebit.*
Contrahe *ſed vento nimium tua vela ſecundo,*
Tutus vt optatum teneas per cærula curſum.
Dixit, & in tenues euanuit ANGELVS auras.

F I N I S.

Imprimatur: Si placet R.P. Magiſtro S. Palatij.
B. Gypſius Viceſg.

Imprimatur: F. Angelus Baronius Venetus Magiſter, & ſocius Reuerendiſs. Sacri Palatij Ord. Pred.

Digitized by Google